

16. OZ

COLLEGII
JCTORVM VITEMBERGENSIS
DECANVS,
 IDEMQUE
 ORDINARIUS ET SENIOR,
CASPAR HEINRICVS
HORNIVS, D.

Consiliarius Regius & Electoralis in
 Senatu Provocationum, Decretalium

Prof. Publ.


^{AD}
 DISPV TATIONEM SOLENNEM
 NOBILISSIMI, ET CONSVLTISSIMI
 CANDIDATI,

DN. JOHANNIS ROETHINGII,
 ADVOC. IMMATRICVLATI,

IN AVDITORIO MAIORI
 AD DIEM APRIL. M DCC XVI.
 HABENDAM,

OMNES
 LITERARVM PATRONOS ET FAVTORES
 EO, QVO PAR EST, CVLTV, ET STVDIO,
 INVITAT.

45.a



Vm sub fine muneris, quod per
hanc hiemem gessi, fausto omne
Academiae, quintum Juris Candi-
datum clarissimum, JOHAN-
NEM ROETHINGIUM, sisto,
eumque alterum, qui ex jure te-
stamentario publice differet, ac
sententiam suam adversus dissen-
tientes tuebitur, in mentem mihi famosa illa *Socini*, ut
vocatur, *cautela* venit, de qua pauca quaedam, προσΦω-
νήσεως loco, in medium proferre, constitutum mihi est.
Scilicet nemini, qui artem juris tractat, ignotum esse
potest, ex placitis Romanae nomothesiae, apud alias
gentes, & Germanos quoque nostros, usu receptae, ex
nostris bonis certam portionem, quam *legitimam* voca-
mus, illis personis, quibus aut vitam dedimus, aut debe-
mus, vel interdum etiam fraterno vinculo nobis junctis,
relinquendam esse. De hac legitima, tum Romano ju-
re, tum etiam postea peculiaribus populorum Legibus,
tam multa, tam varia, sunt constituta, ut JCtis crassa vo-
lumina, quibus argumentum hoc tractandum suscep-

L. 33. C. de runt, edendi occasio fuerit subnata. Inter alia vero legi-
inoff. re timae hoc insigne privilegium, jure civili, datum conces-
sumque est, ut sine ullo onere, dilatione, vel conditione,
relinquenda sit, & ut unumquodque horum, si ascri-
ptum fuerit, pro non scripto habeatur: quod an ex natu-
ralis juris praceptis deduci queat, alia quaestio est, de
vid. Pro qua superioribus annis sollicitus fui. Quemadmodum ve-
gramm. ro ad officium JCti pertinet, ut non solum ad responden-
nostr. A. dum de jure, vel ad agendum, verum etiam ad caven-
1700. de dum, aptum se & idoneum reddat, ut scilicet consilia sug-
hoc arg. gerat, quibus modis, quibusve subsidiis, ac formulis, ne-
scriptum. negotia civilia non modo valide, & juste, sed etiam ex re
agentis, secundum finem, quem sibi proposuit, geran-
tur: ideo, omni tempore, & veteres, & recentiores, Ju-
risperiti observationes & regulas tradere conati sunt,
qui-

qui^{bus} consuli possit illi, cujus intentioni lex, vel ejus rigor aut durities, obstare videtur. Illa inventa forensia Εὐρηματα, seu Εὐρηματικα, olim dicta sunt, unde *Herennio Modestino* liber singularis περι Εὐρηματικων natus est, cuius fragmenta erudito commentario *Joannes Schilterus* illustravit. Hodie cautelas eas vocare solemus, quarum quam plurimas *Raymundus*, *Dilectus*, *Fichardus*, *Brederdius*, & nostra aetate illustris *Strykius*, aliique, collegunt, quae usum tum circa negotia inter vivos, tum etiam ultimas voluntates, habere possunt. Qua tamen parte negandum non est, saepius, ubi nimium cauti, circa ultima praesertim elogia, esse volunt, atque acutissimorum, peritissimorumque JCtorum consilio & opera utuntur homines, id agi efficique, ut quamplurimae postea ex testamentis istis controversiae, litesque diurnae oriantur, quae heredes & posteros mirifice divexant, multisque malis objiciunt, & exponunt. Dum enim nimium anxii sunt in cavendo, tricis involvunt mentem testatoris, & providentiae Divinae saepe limites quasi ponere conantur, quae deinde omnia haec consilia confundit, & turbat, nec patitur exitum capere illa, quae tanta cum anxietate sunt confecta: ut adeo saepe satius sit, cum *Lucio Titio* testamentum suum scribere sine ullo Juris perito, rationemque animi sui potius sequi, quam nimiam & miseram diligentiam. Inter istas vero cautelas testamentarias insignem quoque L. 88. §. 17. locum invenit *cautela Socini*, illius scil., qui junior dicitur, ff. de Le- quae vocatur. Quod inventum quidem non ita *Socino* tri-gat. II. buendum est, quasi primus illius auctor fuerit, quem & apud Angelum, & Durantem, illud reperiatur; sed ideo vulgo ascribitur *Socino*, quod perspicue, ac bene, cautelam istam exposuit, & usum ejus commonstravit. Est ^{v. ad Nov.} in libro de Socinorum nomen inter JCtos celebre; nec Theologis ignotum. Namque apud Senenses in Italia, standi. clarissimi & summi JCti seculo XVI. floruerunt, ex fa- L. 1. C. 122. milia *Socinorum* orti, quorum consilia & responsa, com- mentariique in utrumque jus, supersunt, laudemque

insignem promerentur. Ex eadem vero gente etiam prodiere, *Laelius*, & *Faustus*, *Socini*, quorum ille fundamenta sectae, quae *unitariorum*, & *Socinianismus* dicitur, jecit; hic vero ultimam deinde illi, infausto sidere, impo-
suit manum. Vertitur vero illud ἐνεργεια in eo, ut pater obliqua via onus adjicere queat legitimae, filiumque compellere, ut totam hereditatem, vel omne id, quod ex bonis paternis, comprehensa etiam legitimae parte, ad-
eptus est, restituat illis, ad quos parens illud pervenire optat, si forte sine liberis filius aliquando decedat. Ad-
dat ergo ille, cui haec mens est, institutioni ex asse, vel semisse, dodrante, vel alia superante parte legitimam, hanc legem, ut, si filius voluntati paternae obsequi nolit, haud alia, quam ea ex parte, quae νομικὸν μέρος dicitur, institutus censeatur. Si filius itaque tota hereditate, vel parte illa excedente portionem legalem, potiri, eaque, quoad vivat, frui, cupit, necesse est, & eam patris adim-
plere voluntatem, qua filii commisit fidei, ut aliis inte-
gram restitueret hereditatem. Quod dum, ne faciat, recusat; non nisi legitimam partem consequitur, reliqua vero perdit omnia, quibus, ex judicio patris ultimo, gau-
dere potuisset. Haec autem ratio testandi minime adver-
satur juri testamentario, legitimae gravamen prohibenti.
Nam, primo filius in tota hereditate, vel saltem parte ejus, legitimam superante, institutus est, atque ideo, hac parte, nullus querendi locus est filio relictus. Deinde rogit hunc parens, ut restituat hereditatem; quod, quo minus faciat, jure prohibitum non est. At vero, dum hereditatem ex asse, vel omne id, in quo honoratus filius est, restituere jubetur, ac proinde cum eo legitimam, onus adesse, quis dubitet? Adebet utique, sed ita adebet, ut, si filius velit, statim cesset. Jam enim patris jussus se pro-
dit, ut, si nolit acquiescere in paterna voluntate filius, in legitima pure sit institutus, eamque consequatur. Sic, dum habet id, quod lex tribuit, & absque omni quidem onere, non est, cur de injuria, sibi facta, queratur, licet
reliqua

reliqua perdat, quae liberae patris sunt dispositioni reli-
 eta. Sin vero assentiatur placitis patris, causa nulla est, *Conf.*
 cur accusetur testamentum, & juri adversum esse, dica *Stryk. de*
 tur; atque casus nunc existit, ubi onere fideicommissi
 legitima potuit gravari. Haec vero plane dubio carent,
 si filius diserte edicat, se hancce patris agnoscere vo-
 luntatem, paratumque esse, omnino paternis jussibus, *Caut. Test.*
C. XVII,
M, 3, §. 15,
seq. ibique
att.
 de restituenda hereditate, obtemperare. Utrum vero,
 si hereditati se immiscuerit, vel adierit eam, absque ulla, *Marzari-*
 de agnitione oneris, facta declaratione, id actum tamen *us de Fidei*
 censeatur, ratam haberi paternam voluntatem a filio? *commiss.*
 inter nostros interpretes controversum est; nec desunt, *qu. 50.*
 quibus negativa decisio hujus quaesiti placet. *Confir.* *Ruinus L.*
 mare horum sententiam videtur Justiniani *Constitutio*, *3, conf. 143,*
 secundum quam, *si filius, post obitum patris, hoc, quod reli-* *L. 35, §. 2,*
ctum vel donatum est, nec tamen legitimam partem conficiat, *C. de inoff.*
simpliciter agnoverit, &c. non adjiciens, nullam sibi supereesse *test.*
de repleione quaestionem, nullum sibi filium praejudicium fa-
cit, sed legitima pars repletur, nisi hoc specialiter sine in-
apocba, sine in transactione, scriferit, vel pactus fuerit,
quod contentus relicta, vel data, parte: quo demum facto de
eo, quod deest, nullam habet quaestionem. Ex quo id con-
 ficiunt nostri, legitimae, atque illius supplemento non
 aliter, quam disertis verbis, renunciari posse; quam de-
 finitionem non male ad hanc speciem trahi quoque,
 multis verisimile videtur. Sed tamen ad eam non per- *Alleg.* *a*
 tinere, defendere quem posse, cum communi fere scho- *Stryk. d.l.*
 la Doctorum, existimo. Quod si enim, ut praestruxi- *c. 2.*
 mus, ex asse quis institutus, vel ex magna certe parte *Fab. L.V,*
 hereditatis, eam adeat ex testamento simpliciter, & pu- *c. 90.*
 re, non potest non etiam approbare omnem volun-
 tatem defuncti, atque sic etiam consentire oneri, legi-
 timae addito portioni. Nec, quod a Justiniano
 statutum, commode huc potest trahi, quum sup-
 ponat Lex Justiniane, ne legitimam quidem inte-
 gram esse filio relictam: quod, in nostra si subsistamus,

hypothesi, dici non potest. Sin vero reponas, neque hoc casu integrum esse legitimam, quia restitutio nis oneri est obnoxia: regerere mihi liceat, damnum hoc alio insigni commodo pensari; quod, licet interdum non aequet damnum, quod ex restituzione legitimae oriri potest; potest saepe tamen etiam longe illud superare: atque ideo, incertum ob eventum, inaequalitas quaedam si appareat, nullum nobis creare impedimentum. Ut taceam, nostrates non contemnendis rationibus evincere solere, dimissionem etiam lucri legitimae ex factis colligi posse, ex quibus de mente filii renunciantis sufficienter constare potest. Ceterum illud monitum velim, patrem, qui cum successu ista cautela Socini cupit uti, id agere debere, ut, si nolit ex asse instituere filium, tamen ex insigni parte id faciat.

Stryk. d. l. §. 8. Nam, si exiguum est, quod superat legitimam, illud filius non adeo curabit, nec ideo dimittet perpetuum jus, & ad heredes transitum, in bonis, ex lege ad ipsum pertinentibus. Disputari etiam solet, num haec clausula sub codicilli comprehendatur? quam quidem quaestionem in praesens discutere non licet; cum *B. Strykio* tamen, negandam esse, censeo. Sed

Stryk. d. l. §. 24. satis de his. Venio ad id, quod nunc agitur. In lucem vitamque communem exiit noster anno septimo supra octogesimum seculi XVII. VI. Idus Novembres, *Neapolii*, oppido Misniae, intra limites Praefecturae Hohensteinensis in confiniis Bohemiae, sito. Prognatus est parentibus optimis, & integerrimis: patre scil.

JONA ROETHINGIO, curiae ejusdem municipii adscripto, & matre **SUSANNA**, *Joannis Stegemanni*, magistri civium, viri de patria optime meriti, filia, quae in hunc diem supereft, & aetatem hac re solatur, quod filium huncce res suas bene gerere experitur. Hi parentes de filii salute, tum, quae in hac vita, tum, quae post eam speranda, soliciti, omni conatu id egerunt, ut Christianae doctrinae praeceptis, bonisque artibus,

bus, recte imbueretur. Tradiderunt ergo illum publicae scholae praceptoribus, *Christiano Cladio, Paulo Peucero, & Godofredo Beyero*, qui omnes munera partes bene expleverunt in erudiendo Candidato nostro. Annum vero quum undecimum superasset, *Elystram, Lusatiae oppidum*, fuit missus, &, post annum, *Budissinam*, ut, utroque in loco, humanioribus literis operam daret. Utробique autem, e dexterorum praeceptorum institutione optime profecit; qua parte *Christiani Ottonis, Rectoris ludi Elystrensis*, fidem & curam maxime laudat. Commeavit postea, per annos duos apud Budissinenses commoratus, *Zittaviam*, ubi septennium integrum, in celebri hujus urbis Gymnasio, consumpsit. Felicitas illi haec contigit, ut ibidem vivum adhuc *Weisum*, virum de studiofa juventute per annos multos longe meritissimum, & ideo insigni fama conspicuum, reperiret, qui, una cum *Adamo Erdmanno Miro, & Riccero*, incrementa studiorum nostri mirum in modum promovit, & auxit. Tempus tandem visum est, ad altiora accedere, & Academica studia aggredi. Concessit ergo *Jenam*, ubi a Rectori magnifico, **GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO**, Archiatro jam dudum celeberrimo, iv. Non. Sextilis, in numerum civium, anno hujus seculi nono, receptus est. Quia vero, in scholis inferioribus bene jam ad majora praeparatus erat, statim ad artem juris animum applicuit, priumque sibi praceptorum nobilissimum **HERTELIUM** elegit, qui viam omni studio, & dexteritate illi commonstravit, qua tum ad cognitionem juris, tum ad ejus usum, contendere posset. Sectatus etiam est studiose Doctores publica autoritate constitutos, viros & doctrinae, & famae celebritate, omnibus notos, **SLEVOGTIUM, BEYERUM, WILDVOGELIUM, BRUCKNERUM & SCHROETERUM**. Atque, his omnibus, propter eorum insignem copiam doctrinae, quam plurima se debere, libens profitetur. Quadriennio in Salana Academia consumpto, in patriam rediit, in tirocinii fori
ver-

versaturus. Sed placuit tamen rursus ad Academica se conferre studia. Quam ob causam ad nos venit, anno quarto decimo hujus, in quo vivimus, seculi, civitatisque nostrae jure donatus est, cum magnifici Pro-Rectoris munere summe reverendus KLAUSINGIUS fungeretur. Accessit vero hic, tum ad nostra pulpita, tum ad honoratissimorum Collegarum, magnifici praesertim WERNHERI, & excellentissimi GRIEBNERI, Juris Antecessorum praestantissimorum, scholas publicas privatasque, atque omnes industriae nervos, & felici quidem successu, contendit, ut perficeret hic incepra alibi, & doctrinae opibus se magis magisque locupletaret. Praeter haec vero selegit sibi privatissimam operam B. NAEVII nostri: post cuius obitum commercio est usus consultissimi WOLFII, quo ductore, universi juris spatia repetiit, atque operam maxime dedit, quo, in conscribendis libellorum, exceptionum, aliarumque rerum, formulis, quorum in foro usus est, calatum exerceret, atque hac ratione stylo curiae asvescere posset.

Dum vero ita studia Academica tandem relinquere, & in rerum argumentis versari, cupit, inter Candidatos, ut recipetur, anno superiore petiit modeste, obtinuitque scrutinio primo exantlato, dignum ut censeret Ordo eum, qui causas oraret, & ad alia Candidatorum specimina admitteretur. Numer etiam rigoroso, quod vocant, examini se subjecit, satisfecitque nostrae omnium expectationi. Nihil ergo superest, quam, ut proximo Jovis die in publicum prodeat, & sub excellentissimo D. MENCKENIO, Collega nostro aestumatismo, Dissertationem, erudite conscriptam. *de Testamento judiciali extra locum judicii condito*, adversus dissentientes tueatur. Meum itaque est, ut Magnificum Dominum PRORECTORREM, Patres Academiae conscriptos, civesque nobilissimos, & praestantissimos, omni, quo decet, cultu & studio, exorem, ut hanc panegyrim praesentia sua honorifica ornare velint. P. P. Dom. Miseric. A. O. R. M DCC XVI.

VITTEMBERGAE
LITERIS GERDESIANIS.

